

Quando Feudum est ex pacto, & quidem antiquum, agnatus non ingreditur locum defuncti; tenet quidem locum in feudo, sed non ex persona morientis. Nam feudum à Domino intelligitur datum *primo*, & post mortem primi *secundo* & aliis successoribus ex ordine gradus: Hinc statim primo moriente fingitur feudum ad dominum pervenisse, & ab eodem de novo vel filio, vel agnato concessum esse. Andr. de Ilern. *c. 1. vers. Et olim. col. 3.* Quando vero feudum est hereditarium, agnatus locum agnati ingreditur, Bald. *consil. 261. vol. 1.* & agnati & defuncti persona pro una eademque habetur, sicque feudum hereditarium ad agnatos venit per mortem agnati. Utrumque autem Feudum, sive ex pacto sit, sive hereditarium, refutari posse tradit Marin. Freccia *l. 3. de differ. feud. num. 25.*

III. Sive novum sit, sive antiquum.

De quaestione, an novum & antiquum Feudum refutari possit? nullam inveni apud Doctores controversiam. Consentientibus igitur omnibus res firmo stat talo. *vid. etiam Rittershus. l. 2. c. 2. quest. 20.* Quibus autem & quomodo Refutatio

tatio